

B. M. II, 173.
h. 48, II.

X 1879528
Q. D. B. V.

II m
459a

De
**NOBILITUM
INSIGNIBUS,**


PRÆSIDE

**CONRADO SAMUELE
SCHURTZFLEISCH,**

Disputabit

**JULIUS ALBERTUS à ROHR,
EQV. MISN.**

*In Auditorio Majori, KAL. MART.
M DC LXXI.*



WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.
ANNO clā lōc LXXVIII.

24. 21



G. D. B. V.

Dr.

NORBILUM
INSIGIBUS

BRASIDE

CONRADO SAMUELLE
SCHURTERER



Industrie-Museum, Kgl. Markt.

Dr. Christian Schöberl
Halle a. S.



N

dar
Pri
rig
sci
ran
tio

Su
ca
fig
hic
im
op
ad
fo
tre
sta
St
fu
ju
re
li
ju





I. N. J.

I.

NOti sunt magnorum fluminum
cursus; scaturigines vero obscuræ, fon-
tesq; unde derivantur. Constat insignia
dari, eorumq; hodie usus invaluit longe amplissim9.
Primordia ut alibi, ita hic, si res à sua repetenda o-
rigine est, maxime latent. Nam quod ego quidem
sciam, pauci hæcenus in hanc incubuerunt cu-
ram, ut rimarentur origines Insignium gentili-
tiorum.

II.

Sed utar occasione, & manum rei admovebo.
Sunt, qui ab Heberi posteris insignium initia du-
cant asserantq; eo ipso, Davidem usurpasse in in-
signibus leonem. Nec deest asserto ratio neq; forte
hic prætermittenda. Confecerat Leonem, magno
impetu in se irruentem. Hinc quanta Fortitudinis
opinio omnium animos suspensos tenuit, tantum
ad capienda Insignia momentum fuit. Atque ex ea
forte causa signum Leonis usurpatum, sive ut in-
trepidi animi argumentum, sive ut rei pulchrè ge-
stæ indicium esset *1. Sam. XVII. 37.* Aliorum conje-
cturas non affero. Nam aut alienioris exempli
sunt, aut non satisfaciunt. Imò verò quicquid hu-
jus in universum est, libenter missum facio, quod
recordari hic subit perquã lubricum esse, ac nul-
li certe fundamento innixum, quod in parte hu-
jus institui depromitur ab Hebræis. Præterea ab

A 2

horum

horum partibus recedo, qui prima gentilitii mor-
tis vestigia extitisse apud Ægyptios ajunt. Ab illis
perinde dissideo, quotquot à Caribus, ac Troja-
nis repetunt. Sed verò exquisitiores esse volunt,
qui Cyrum referunt, ut primum inter Persas stu-
dii equestris, ita haud dubium gentilis, ut credunt,
dignitatis autorem. Atq; hic valet testimonium
Xenophontis 1. πειδ, seu aliquando conjectura
magis. In Germania nostra evidentius in Henrico
Aucupe exemplum est. Idem ut ludis Equestribus,
ita gentilitiis honoribus decus atq; robur addidit
inter suos. Propius accedunt illi, qui veros Insi-
gnium natales à cultiorum gentium moribus ar-
cessunt. Nempe homines factis, familias insigni-
bus distingvi a vitæ gentium consuetudinis fuit.
Consuetudines postea exceperunt Leges, & exem-
pla sæpenumero in literas redacta, ut autoribus
suis honori, posteris admirationi essent.

III.

Cæterum quid assumendis insignibus fecerit
locum, ab aliis reddi aliter solet. Qui rectè rem in-
vestigant, plures post originem causas exponunt.
Dum verò hic originem dico, una denoto Nativi-
tatem. Cujus occasione Alexander M. sua sibi In-
signia excogitavit. Is Olympiadem matrem à Dra-
cone sub specie Jovis compressam, seq; ex illo ge-
nitum credebat. Igitur arcessere inde insignia sibi
& effigiem appingere Draconis cœpit. Conferri
eo Doctiss. Camerarius potest, op. subcis. cap. 69.
De familia Principum Hennebergensium refert
Chronici Hennebergici autor Lib. 1. Cap. 3. Gallinæ
imaginem in Insignibus incisam habuisse. At post-
quam procedente tempore stirpis origo repetita

à Co-

à Columniis est, auctum infigne, & disco gentilitio
inferta Columnæ albæ Coronam sustentis effi-
gies. De cætero originem Columniorum non ex I-
talia arcessimus, sed ex Germania, id est, ex Zolle-
rensi stirpe. Vid. Aut. Hist. Aug. in Interreg. post
Frid. II. & Henr. VII. Sunt tamen alii, qui eos ducant
à Guelphis. Neque vero Columnii hi confunden-
di cum Equitibus Ordinis illius, quem vocant, di-
Colonna. Kranichf. c. 16. de equitib.

Diutius ferme quam attinet circa originem hæsi-
De reliquis multo brevius tradam. Subit hic ocu-
los vitæ, quod quisq; sectatur, gen9. Alii à vomere
atq; aratro insignibus materiam fecerunt. Hoc Gor-
dio illi usu probatum memini. Is ab infimo vitæ
genere & cultu pastorali, ad regium progressus,
nodum connexuit, indicium prioris status, & o-
men futuri. Vestitum infigne aratri imagine, illiga-
tis funiculis conspicuum, ac monumentum adeo
anteactarum rerum.

IV.

Ad hæc servatæ fidei pretium Nobilitas fuit. Con-
ferri eò Michael Ritus Neapolitanus potest. L. 3. de
Reg. Hispan. Hodieq; Gallia insignia multa ostentat
fidelis erga reges obsequii monumenta. Præterea
expeditiones sacrae originem insignibus præbue-
runt. Honoris causa nominamus Comitem Schi-
rensem Eckardum, qui & bello interfuit contra Sa-
racenos, & rem præclarè gesit, & meruit insignia.
Dignus ille Bajoaris honos, cujus fructus ad hodie-
nos Bavariæ Duces redundavit. De cætero compo-
suit res Eckardi Andreas presbyter, in recensendis
Bavariæ ducibus minime negligens scriptor, neque
indignus, unde excerpere, quod serviret instituto.

A 3

Quod

Quod etiam meritis effectum sit, ut insignia conferrentur, allegam⁹ Ebersteinios Dynastas, hoc titulo evedtos ad Insignium honorem. Argumento est rota rubra interlucente cœruleo Sapphiro insignis. Sæpè etiam venit usu, ut quemadmodum nomina, ita insignia efformentur. Documento hic sunt familiae Columniorum, Malliorum, & id gen⁹ complurimum apud Gallos, ut refert Moreau Gallo, Vir in hoc argumento versatissimus, in lib. sub tit. Des armoires de France, Chap. 1. Non piget recensere hic Alefeldios, Schleinitzios, quorum nomina insignibus, insignia nominib⁹ exprimuntur. De Schleinitziis certe memini, vidisse in insignibus ipsorum tres Rosas, quas à nomine sortitos credo, & ut credã, multa me hortatur. Nomē Venedæ est gentis. Wendi enim, quos vulgo dicimus, rosam pulcherrimã efferunt familiari sibi nomine Schleinis. Unum hic in transeursu addendum, omnia ea aut Wendicam præferre originē, aut in V. Vendica prædia successionem, quæ terminantur literis is/wis/nis. In quam rem conferre licet Laurentium Peccensteinium in Theatr. Sax. Part. 1. c. 11. P. Albinum M. Chr. Tit. 13.

Constat quoq; literarum studiis nobilitatem esse partam, cujus rei testis locupletissimus Cassiodoro est. Jam dudum enim Carolus V. Angliæ Rex cōsummatae doctrinæ laudem insignibus repensavit. Inter exempla erit quidam Carni nomine insignib⁹ donat⁹ à prædicto rege. Præter literas alii ad Nobilitatem gradus fuere, de quibus exposuit Jurisconsultissimus Vir Sinibaldus Vbaldus ax. 19. 20. 21. &c. Justitia eo evexit Pittacum, Lycurgum, Solonem:
libe-

Liberalitas Pelon, Tarquinium, & superiori a vo Medicos. Lubeca fides peperit insignia Aquilæ tempore Frederici Ænobarbi. De aliis libens taceo.

VII.

Spectabimus alium fontem, unde Nobilitas defluxit. intuebimur Christophorum Columbum, cui navigatio & prodigium illud delecti novi orbis insignia addidit, Tulit sane rei laudabiliter peractæ præmium. Concessus indulgentia Regis Castellani globus decorus. Hæc indicia fuerunt veteris orbis emensi, & novi jam inventi. Etiam faustum sæpe ad simulacra gentilitia belli auspiciam fuit. Sed hoc institutis Gentium voluntariis ac libero cuiq; populo libere relictum est, velit usurpare devictarum gentium insignia; nec ne? contra quam nuper putavit Auberius Gallus; qui nescio quas turbas dedit in hac parte. Constat alioqui, Augustum, superatis Cantabris, victoriæ jure induisse insignia, & Cantabricæ gentis vetera illa extinxisse. Vid. Spondan. Epitomat. Baron. Sim. Majolus, Eucherus ad P. de Andlo.

VIII.

Restat ultima Insignium causa, quam societatem facio gentis cū gente. Quid enim impedit, diversos Principes foedere aëriori jungi, & si utrinq; ita visum est, intimioris amicitia restandæ causa, mutuis insignibus uti? Hujusmodi societas inibat quondam inter Carolum M. & Regem Scotorum, eaq; adeo ex causa communis insignium usus inter utrosq; invaluit. Contextus gentilitius ex liliis contrapositis à Leone rubeo factus, ab Hectore Boethio traditur. IX.

Hactenus de insignium communium origine expositum est satis. Servabimus instituti formam, & trademus non nihil de insignibus sigillatim. Nempe hic sua cuiq; arridet opinio; quæ ubi semel occupaverit animum, id solum statuit, quod initio sibi persuadere cœperat. Sed
hic

hic quidam reperiuntur, nimis sane curiosi. Nos id incumbemus, ut quædam eruamus, sed cum delectu, atq; adeo citra superstitionem. Eminentissima virtutum Heroica est, à qua repeto primordia insignium concessorum. Solebant veteres iis, qui pro patria prælium subiissent, periculumq; impendens propulsassent, clypeum dedicare. Nec clypeum modo, sed qui pictis imaginibus rei præclaræ gestæ testimonium esset. Haud dubie collimare eò voluit Poeta, dum scriberet:

Mos erat antiquis, ut bellica castra secutis,

Nomina pro meritis, aptaq; signa darent.

Eodemq; referre liceat illam Sallustii sententiam. Sic se (ipse ait) hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus facere properaret: eas divitias, camq; bonam famam, magnam Nobilitatem putabat. Confer. Ubald. az. de Nobil. 14.

X.

Dabatur in bellum ituro clypeus, qui nullis plane ornamentis esset præditus. Eo si depugnabat fortiter & specimen edebat virtutis, imaginibus quasi fortiū facinorum testibus, clypeus distinguebatur. Et hic paratæ erat indicium Nobilitatis. Nec temere forte aut inconsulto huiusmodi imagines clypeis imprimebantur. Ut sua cuiusq; erant facinora, ita insignia exornabantur. Fingam esse quendam Horatium Coclitem. Is pugnando fortiter hostium Impetum sustineat, & resistat adeo, donec soluto post tergum ponte, hosti aditus intercludatur. Præmio certe dignus erit, & merebitur insignia virtutis. Ponam, concedi imagines, impertiri insignia Leonis. Nota atq; indicium erit exantlatorum periculorum, atq; luculentissimum bellicæ virtutis argumentum. Dabo ornari magis galeam gentilem: fiet iis rebus, ut extrema galeæ impetum, arietis figura bellatorem designet. Nolim afferre exempla ubiq;

ubiq; obvia. Sed addo tantum, luxuriari ferme voluisse in-
signium usu veteres, cum quot arces subegissent, quot præ-
lia commisissent, tot pictas imagines gestare placuisset.
Alii circulis, alii aliis notis scuta sua distinguebant.

XI.

Vindicavi hæcenus bello originem Nobilitatis, sed ea
lege, ut Toga quoq; venire debeat in hujus dignitatis par-
tem. Nembelli æque ac pacis tempore emergere licet ac
niti ad summa. Nec togæ adeo negatum est, quod fieri pot-
est in sago. Duabus enim rebus Republicæ continentur;
partim armis, partim legibus. Utrisque rebus & parari Nobi-
litas potest & retineri. Neque enim major Nobilitas à Mar-
te, quam ab Apolline proficiscitur. Cur enim Musæ frau-
darent hoc fructu? cur non eveherent suos cultores? Offe-
runt sane præmia & expromunt, & viam sæpe ad ipsa insi-
gnia pandunt. Etiam connubiis eo patuit via, & ad fastigiū
excelsius quandoq;. Post Æneā Sylvium, Conradum Ursper-
gensem, Fabricium & Reineccium scribit Peccensteinus,
pro vetustam Pflugiorum familiam ex Primislao Bohemo
permanasse. Is enim supra septingentesimum vigesimo
anno Croci Bohemiæ Ducis filiam, Libussæ nomine, con-
jugem sibi ascivit, eoq; principali dignitate auctus fuit. Sic
Bunaviorum prosapia, eodem auctore, originis suæ pri-
mordia refert ad principes Pedemontanos. Crevit bello
& multa fortuna, donec Siciliae turbis implicata, ejusdem
cum Imperatore Friderico II. calamitatis particeps fieret.
Hinc molestiarum, quas bellū continet, pertæsa mutavit
sedes, ac apud Bohemos sibi novum domicilium elegit. Su-
pervacuū hic ostendere est, ex Comitibus olim descendisse
Nobiles, & Nobiles vicissim in Comitum esse pro vectos fa-
stigium.

XII.

Sed quis conferre in signia possit, expeditū hic est dico-
re. Sequimur eorum partes, qui illud jus deferunt non
recognoscenti superiorē, In sacratissimo Imperio Roma-

B

no Cæ-

no Cæsari hoc reservatum jus est. Ad Austriæ vero Duces & Comites Palatinos privilegii titulo pervenit. De cætero qui impertiendorum insignium, iidem est certa causa augendorum, imo ob gravius delictum imminuendorum & forte etiam auferendorum jus habent. Triste hujus rei documentum Bironius, cui, irrogata sententia capitali, ablatum ordinis, qui militiæ Spiritus S. dicitur, insigne, baculus item & pallium ac torques detracta. Buleng. Hist. lib. XI. & suppl. Chytr. in Bir. ad A. 1602. Nempe adeò certum est, fontem insignium esse Majestatem, ut hinc jam manifestum sit satis, scuta, galeam, vittas, coronas, telamones principalis indulgentiæ beneficia esse, nec licere privatis ea sibi arrogare auctoritate privata.

XIII.

Opportunum, his inserere, utrum titulo consuetudinis, an usucapionis, an Lege beneficiaria, an donatione, an adoptione, an deniq; pactis conventis insignia transferantur? Verum id hoc loco decidere, nimis prolixum esset, & nostro instituto alienum. Sed nihilominus quærat, an blebejus empto beneficio Nobili, ipse nobilis evadat? Dicemus cum Sinebaldo, non magis hunc nobilem fieri, quam illum, qui domum Consulis emit, consulem. Res enim hominibus accedunt, non res hominibus. Et vero quid manifestius, quam nobilitatem inesse personis, non rebus, neq; adeo à rerum indole proficisci?

XIV.

Age nunc exponam, unde componatur gentilitium insigne. Constat autem parma, coloribus, galea, corona, metallo, vittis, & deniq; sustinetur fulcimentis quibusdam, quæ telamones vocant. Atqui verò hic observandum est, quod monent scriptores armorum gentilitiorum, Clypeum Nobilibus attribuunt, tanquam insignis hereditarii testem; his, qui Nobiles non sunt, discum quendam relinquunt, sub campi titulo expressum. Diximus breviter,

viter, unde insignia confientur: Reliquum est, ut de iis, quæ inferantur, laboremus. Ac jam dudum receptum est, ut nomina Deorum clypeos exornarent, eaq; adeo ex causa Æneas, cum arma Memnonis requisivisset, triplici ratione utendum putaret. Primo clypei formam deinde litterarum inscriptarum notas; postremo picti Numinis effigiem inspexit. Huc vid. Taubm. ad Virg. Æneid l. i. v. 494. Demosthenes fortunam in clypeo expresserat, ut Plutarchus autor est. Ex Campano recenset Limnæus, clypei quoq; simulacrum à Geniis cœlestibus sumptum esse, idq; Florentinorum imaginibus idem autor comprobat, l. P. L. 6. c. 6. n. 92.

XV.

Qui hominis figuram usurpent, licet pauci reperiantur, videas tamē, qui integri hominis, videas, qui dimidiati formam exhibeant. Obiter hic notes velim, integram hominis figurā media nobiliorē censerī. Et hominis in insignibus picti imaginem, multarum virtutum, præcipue iudicii ac deniq; fortunæ versabilis effigiem esse. Annectā exemplum, cui fidem faciet. Egra Bohemiæ civitas, quæ iconem hominis gestat, qua patet ejus umbilicus. Ein fideliorū gentile ornamentum Eremita conspicitur. De aliis referre alterius est loci.

XVI.

Recitandum hic esset, cur animalium Imagines scuto fuerint inscriptæ. Sed cum pleraque horum abdita sint, aut incerta, de gentibus bellicosis tantum ex Chassano referam, ab animantibus terribilibus insignia desumpsisse. Id de Romanis, Hunnis, Francis, Saxonibus passim obvium, eoque indicio futurum, populos hos minimè molles, & contra asperos atq; impavidos fuisse. Et cervus quidem celeritatem in rebus gerendis, ursus animi calorem signabat. Illuc Walvvitzios refero, quorum in insignibus

est cervus ; huc Bernios & Bernstios quorum arma gentilia ursus exornat.

XVII.

Neque hic reddere intempestivum etiam piscium imagines aere gentili insertas esse. Denuo utar exemplis, & referam de insignibus Telaviorum atque Karasiorum, qui piscibus utuntur. Trescavii anserem usurpant. Nec tantum integra animalia, sed partes saepe eorum ad hunc usum adhibitas esse, documento sunt Hundii & Reckerodtii. Illi Caput equinum, hi alam, alii tulerunt aliorum membrorum simulacra. Præterea rerum vitæ expertium imagines ducunt Stoternheimii, Puchbergii, Pfortemii, quorum insigne exhibet dimidiam lunam. Quorum illi dimidiam lunam, hi flumen exhibent. Qui plura gestiunt videre exempla, requirant Libros Heraldicos, quos nostra lingua *Wapenbücher* vocamus.

XVIII.

Distingvimus suis quæque spatiis, & jam de iis ornamentis, quæ colores addunt, tradimus. Jam olim Tacitus scripsit, vetustissimos Germanos scuta sua lectissimis coloribus exornasse, idque præcipuum cultum credidisse. De moribus Germ. Cap. 6. 4. Quo confer. Matth. Bernegg. quæst. ad Tac. XXIII. Vulgo quinque colorum genera designant. Quorum primus est albus, post eum niger, tum cæruleus, purpureus, postremo vitidis. Quos omnes ad brevina capita reducemus, & monebimus una, cæteros, tanquam minus principes, sub iis comprehendendi. Et Albus quidem color cæteros præstat, ac metitur Insignium dignitatem; unde Regula Heraldicis approbata, eo præstantiores duci colores, quo magis ad album accedant. Maxima albi coloris præstantia cernitur in eo, quod ex ipso alii colores, ipse vero ex nullo alio fiat. Ad hæc puritatis ratione Deo ipsi cælestibusque hic color electus est, & hominibus

nibus sæpe ad indicandam sinceritatem, prudentiamq; assumptis. Niger vero ut albo posterior, ita Saturno assimilatur in Cœlo, Terræ inter Elementa, adamantini inter lapides, ferro inter metalla, prudentiæ deniq; inter virtutes.

XIX.

Pergimus in hoc gentilitio apparatu ad cœruleum colorem, cujus maxima dignitas in superiori mundo apparet, si cœlum est serenum. Comparatur Saphiro inter gemmas, Aeri inter elementa, violæ inter flores, castitatemq; insuper denotat & justitiam atque sanctitatem. Purpureus inter Elementa ignem, inter lapides hæmatiten, in corpore humano sanguinem exprimit atque repræsentat. In Regibus Majestatem jam à vetustissimo tempore signavit, eoque regius hic creditus color est, & nulli privatorum concessus. Sequitur viridis, lætitiæ indicium, visuique omnium gratissimus, & spei vigorisque symbolum, quod in frugibus, quarum maturitas expectatur, sit conspicuus. Inter Stellas venerem, inter fossilia hydrargyrum, inter Elementa aquam, ex virtutibus honorem atque comitatem exhibet.

XX.

Sed hæc mittimus, ut qui memores simus, notatam hic jam olim esse nimiam quorundam curiositatem à Viro insigni, Davide Blondello in oper. Geneal. Franc. T. 2. Itaque descendimus ad galeam, quarum aliæ causæ, *Stechhelm* / aliæ apertæ, *Tournier Helm* appellantur. Augenturque hæc sæpe apud proceres pro numero ditionum, exemplo gentibus familiari, & jam dudum quoq; in Hispania probato. Præterea ut situs earum, ita judicium de natalibus inde sumitur diversum. Cum Galeæ ad sinistram situs, inserviat ad dignoscendos legitimos & quos dicimus, naturales, eoque si tali consilio positus mutetur, innuit nothum esse, qui Galea, ejusmodi utatur. Nam aut nothi paterna insi-

gnia plane non gestant, aut gestant ad alium situm inflexa, nisi consuetudine forte aliter fuerit receptum, uti de Francia & Britannia autores confirmarunt. Ibi nothi, inquit Sinibaldus, in insignibus paternis barram (ut loquuntur) ferunt, transversam à sinistra parte ad dextram. Quid cum Mm^o superiori tempore actum sit, non attinet referre, quod actis publicis pleraque sint inserta. At vero hic non est prætermittendum, galeam non secus, atque hætenus de scuto diximus, variis animalium rerumque naturalium figuris exornari. Cujus quidem causa non est alia, quam ejus, qui insignia ex causa virtutis meritorumque concessit, publica autoritas.

XXI.

Venimus ad Coronas, quatenus gentilitiæ dignitatis memoriam præ se ferunt; quæ tanto majorem dignitatem significabant, quanto conspectior earum positus erat. Eminebantque in hac parte illæ, quæ à Summo ludorum Equestrium moderatore animose decertantibus imponebantur. Cujus originem ex antiquissima Græcia non pauci, neque inscite deducunt. Estq; hic ante oculos Nobilis Tudesciorum familia coronæ ornamento ab Augustissimo Imperatore quondam aucta.

XXII.

Hinc subit recordatio plumarum cristarumque, quarum etiam in phaleris gentilitiis prolixissimus est usus & ad Americanos usque diffusa exempla. Inter Cristas enituit olim ista, quæ tribus figuris conum referentibus comprehenditur.

XXIII.

Nunc vittas ostendimus, quas tegmina, an lacinias, an fascias, an mappulas forte dicamus, nihil prohibet, si spectemus fori Heraldici usum. In Hispania, Italia earum Jo-
vius,

vius, in Svevica Crufius, in Haffica Fabronus, in Alfatia Herzogius meminit, Saxonicas promifit Albinus, neq; multo post edidit. Ex affe reddunt Germani & vocabulo perconvenienti, jamque ubivis recepto, Helmdecke. Illaque comparatae ad dignitatem & indicandam rei gestae magnitudinem fuerunt.

XXIV.

Properamus ad finem, atque adeo telamones recensemus, quib9 quasi fulcimentis opera gentilitia continentur. Sunt qui hic capient myfteriorum eruendorū occasiones, quos patimur suo abundare sensu, contenti monuisse, alios telamones desumi ex rebus caelestibus, alios ex humanis, aut similibus hujus generis. Hac pacto apud Pontificios invaluit consuetudo Divos inferendi, ut impleant telamonum vicem. Principib9 quibusdam solenne est homines Sylvestres adsciscere ad gentilitiae hujus fabricae dignitatem.

XXV.

Ad extremum hic memoria dignum videtur, quod incomponendis insignibus, ritus atq; mores gentium admodū sint diversi. Itaq; inspicienda populi cujusq; consuetudo, locus etiam aestimandus, ubi imagines debent appingi. Praeterea Animalium illa simulacra exprimi oportet in eo statu, quem recipit eorum natura, quo eorum actiones sunt conspicuae magis. Atqui hic cum in scuto, tum in Galea notandum, ut positus imaginum quadret, & naturalibus animantium proprietatibus atq; actibus, qui à natura eorum proficiscuntur, potioribus apprimè conveniat. Piscis nunquam exprimatur quasi in aere hæreat, nec Columba pingetur, quasi nater in aqua. Sic ridebitur forte, qui Aquilam representaverit ut sedentem, quam volantem
aut

QX
Tm
459

aut ungvibus tenentem prædam, aut alas expanden-
tem, pingi convenientius erat. Leo ut pedibus posti-
cis nixus ac comparans se ad pugnam, multo aptius
redditur, quam dormiens in Terra, aut alio fortasse
modo, qui minus ex dignitate illius feræ, ac symboli
adeo feram declarantis. Ex quo intelligitur omnes,
quotquot imagines hujusmodi pingere volunt, redde-
re manifestissime debere præcipuas atque oculos ho-
minum subeuntes sive proprietates, sive actiones ani-
malium in signiores. Sed hoc quale sit, existamari fa-
cile potest. Coloris quoque ratio habenda est ex præ-
scripto Heraldicarum Legum. Credunt, quippe sibi
colores dignitate & loco, neque aliter pingi debent,
quam id ex perpetua consuetudine observatur.
Nam ut non sine nævo ponitur Metallum super metal-
lum, ita nec sine vitio artis pingitur color supra colo-
rem. Ex Wolfg. Lazii. lib. 7. de migrat. gent adduc-
imus stirpem Ritterburgiorum, quorum insignia albo
& atro coloribus ex transverso divisa antiquitus ex-
plendescabant. Sed priusquam faciam tractionis hu-
jus finem, illud vel strictissime adhuc attingam, quod &
purimum illustrat Nobilitatem, & jus declarat venien-
di ad equestres ludos. Qui honos uti magnus est, & pri-
mò armorum laude partus, ita ab omni ævo avitarū i-
maginum gloria æstimat⁹ fuit. Hodie nemini eo adeū-
di potestas, nisi doceat, insignia Nobilitatis à quatuor
avis paternis & maternis ad se nascendi sorte transmissa
esse. Hæc si spectanda præbeat, habet demum veniendi
instrumentum, ac momentum ad hanc dignitatem ma-
ximum certissimumque. Formula solennium eque-
strium vulgo effertur à scriptoribus, qui dicuntur, tor-
neamentorum. Plurima alia huic argumento pa-
rarem, si plene res Heraldicas componere
constituisssem.

mt
nc



M
2
H
ALLE
CON
MI
NO
N

M
2
H
ALLE
CON
MI
NO
N



N

dar
Pri
rig
scia
ran
tio

Su
ca
fig
hic
im
op
ad
fo
tre
sta
ct
su
ju
re
li
ju

